PHRENESIS MOLINISTICA

SE EXERENS

IN

SCRIPTO FAMOSO,

CUI TITULUS

Janſeniſmus omnem deſtruens Religionem.

Demonſtrante JOANNE AURELIO Theol.

COLONIÆ,

Apud HÆREDES CORN. AB EGMONDT.

M. DC. XCIII.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

PRÆFATIO SCRIPTI FAMOSI CUI TITULUS

Janſeniſmus omnem deſtruens Religionem.

SI à Libertinis, & Atheis conducti fuiſſent Janſenius Iprenſis & ejus ſequaces ad evertendam omnem Religionem, non poterant magis callidè fidei noſtræ & Eccleſiæ exitium machinari. Non aperto Marte eam hactenùs aggrediuntur; vis enim patens faciliùs retunditur; ſed cuniculis rem agunt: tecti larvâ modeſtiæ, pietatis & rigidioris Ethicæ, ea ſtabiliunt dogmata, quibus Eccleſiæ atque omnis prorsùs Religionis fundamenta ſubruantur. Neque eis artes deſunt quibus brevì ſe effecturos ſperant, ut nulla authoritas, nulla poteſtas Chriſtianorum Principum, ſive Eccleſiaſticorum, ſive Sæcularium, conatus illos quantumvis ſacrilegos valeat infringere. Ubi autem Sectam ſuam ſatis firmaverint, nacti fortè Principem aliquem potentem, vel immenſâ ſequacium freti multitudine, non minùs ferociter Eccleſiæ inſultabunt, quàm ulla hactenùs Factio infidelis. Ad impediendum utcumque hæreſeos iſtius nimium hoc tempore invaleſcentis progreſſum, viſum eſt opportunum & quodammodo neceſſarium præcipuam ejus impietatem compendio collectam & deductam per gradus, bvevi tabulâ exponere oculis INNOCENTII XII. *cui à Deo reſervatam credimus Janſeniſmi penitùs excidendi gloriam, quem ejuſdem nominis Pontifex X. in quinque famoſis Propoſitionibus primus debellavit. Geminis autem de cauſis Tabulam hanc publici juris facimus. Prima eſt, ne dum Romanus Pontifex cum Eminentiſſimis Cardinalibus de efficaci tanti mali remedio deliberat, pergat malum more ſuo latiùs ſerpere. Altera, ut tum Chriſtianorum Principum, tum cæterorum in Belgio fidelium animi diſponantur ad recipiendum promptiſſimè, & omni ſtudio promovendum quidquid à Sede Apoſtolica adversùs hanc peſtem emanaverit.*

PHRE.

PHRENESIS MOLINISTICA

SE EXERENS

In Scripto famoſo cui titulus, JANSENISMUS OMNEM DESTRUENS RELIGIONEM.

ELeganter, ut ſolet, detonuit Doctorum Apex, * *Superbis eſſe utile, cadere in aliquod apertum manifeſtumque peccatum, unde ſibi diſpliceant, qui jam ſibi placendo ceciderant.* Moliniſmum Pelagianæ, hoc eſt ſuperbientis adverſus Gratiam naturæ, ſurculū eſſe, nemo neſcit, qui magni Auguſtini de Pelagianis triumphantia Scripta vel eminus ſalutavit. Moliniſtas authores fautoreſque eſſe infamis & propudioſi ſcedii, quod per Belgium volitat hoc animoſo titulo, JANSENISMUS OMNEM DESTRUENS RELIGIONEM, præter alia ſatis indicat, quòd ipſum tertiâ hujus menſis Maii 1693. Pater Dujumont Societatis Presbyter, & Sodalitatis in civitate Antverpienſi Eccleſiaſtes,

*Aug. lib. 14. de Civ. Dei cap. 13.

conſectraneis ſuis unà cùm ſuffragio menſtruo diſſeminarit, velut cimelium condiendæ ſuavium Sodalium ſuorum pietati, & incendendis Moliniſticis precibus peridoneum.

Quanta ſit contumelioſi illius Libelli, & quam portentóſa inſulſitas, quam impos audacia, quàm cæca ineptia, de qua vel ænea frons pudore liqueſcat, ſi adhuc rationis lucula ſub ea latitet, non operoſo molimine convictum dabo.

Adeſte igitur arbitri controverſiæ, nam vos concernit, Sacerdotii & Imperii Principes, adeſte Theologicæ Cathedræ conſeſſores auditoreſquè, adeſte dialectices Profeſſores & candidati, & obſtupeſcite ad argutias nefandas confidentiſſimi Moliniſtæ, Eccleſiam declamatione ſuâ graſſatoriâ conturbantis, nec leges charitatis Chriſtianæ dumtaxat, aut Religioſæ modeſtiæ, verum etiam paganæ ſocietatis temeritate ſuâ efferâ convellentis, & ſuper omnes honeſti & humani limites impavido pede ſaltantis.

Accuſat Reverendiſſimum Dominum Janſenium, ingens illud Lovanienſis Academiæ decus, nobiliſſimum quondam Catholicæ fidei adverſum Buſcoducenſes Mi-

niſtros in Belgio protectorem, atque ob raram ſcientiæ & ſanctitatis excellentiam ab Hiſpaniarum Rege è natalibus ſatis tenuibus ad Iprenſes infulas evectum, machinationis prorſus impiæ & infernalis, videlicet excindendi funditus Catholicam fidem, perdendi Eccleſiam Dei vivi, abolendi Religionem omnem; idque per vias tam inſidioſas, ut à Libertinis licèt & Atheis conductus, non magis callidè tam nefarium facinus moliri potuiſſet. Neque hîc ſtat impotens ejus maledicentia, ſed magni Auguſtini per Belgium alumnos, quos ſequaces Janſenii nuncupat, ejuſdem adverſus Matrem, quæ illos Chriſto genuit, parricidii ſcelere, & quidem deſtinatiſſimis conſiliis patrandi involvit. *Si à Libertinis, ait, & Atheis conducti fuiſſent Janſenius Iprenſis, & ejus ſequaces, ad evertendam omnem Religionem, non poterant magis callidè Fidei noſtræ & Eccleſiæ exitium machinari.*

Quis à nato Salvatore vel Eccleſiâ conditâ atrociorem uſpiam in Chriſtianos intortam accuſationem vel rumore percepit? Si talis profectò, qualis lurido Libello fingitur, Reverendiſſimus Janſenius extitit, ac tales etiamnum ſunt ſequaces ejus,

* Init. Præfat. non

non equulei, non rotæ, non ignes, non Phalaridis bos, non Buſiridis altare ſufficiant, impiis illis & diabolicis molitionibus expiandis. Alterutrum igitur neceſſe eſt, aut enormem illum accuſatorem evidentiſſimis probationibus ad convincendos adverſarios ſuos de tam immani crimine inſtructum eſſe, aut ſub atrociſſimæ, quæ umquam fando audita eſt, vel in viros catholicos impingi poteſt, contumeliæ mole fatiſcere. Sed ipſa primùm accuſatio in pleniſſima ſua imagine ſolerter conſideranda & expendenda eſt. Hæc eſt enim calumniarum immanium natura, ut contuitum acriorem non ferant, ſed ipſâ attentiori reflexione compreſſæ tenues cum fætore gravi rumpantur in auras.

Accuſatur itaque perilluſtris Janſenius, Iprenſium Epiſcopus, Eccleſiæ Catholicæ, in cujus communione cum odore ſingularis pietatis mortuus eſt, dum viveret, glorioſus defenſor, & ejuſdem ſequaces, inter quos Moliniſtæ comprehendunt Doctores Theologiæ in Lovanienſi Academia varios, complures viros Eccleſiaſtica dignitate fulgentes, moribus & doctrina conſpicuos, Paſtores plebium ingenti numero, eoſdemque diſciplinæ obſervantioris, *Re-

* Vide Memoriale exhibitum Cath. ſuæ Majeſtati §. 4.

ligioſorum Ordinum corpora non pauca, & paſſim in omni ſeu Civili ſeu Eccleſiaſticâ ſocietate viros maximè pios & probos, ſeu, ut impoſtor noſter vocat, *Rigidioris Ethicæ* Sectatores, accuſantur, inquam, hi omnes diabolicæ illius & execrabilis machinationis exſtirpandi radicitus catholicam fidem, diruendi Eccleſiam Chriſti, evertendi Religionem omnem, idque verſutiâ tam tartareâ, ut ſi à Libertinis pretio conducti fuiſſent non poſſent ſagaciùs. * *Non aperto marte*, pergit Impoſtor, *eam hactenus aggrediuntur, vis enim patens faciliùs retunditur, ſed cuniculis rem agunt: tecti larvâ modeſtiæ, pietatis, & rigidioris Ethicæ, ea ſtabiliunt dogmata, quibus Eccleſiæ atque omnis prorſus religionis fundamenta ſubruantur.* De Dogmatibus agetur ſuo loco & tempore. Hoc jam unicum vice prodromi accuratè animadverſum velim, audacem Moliniſtam ſeſe ingerere in conſcientias & intentiones ſecretas virorum, externè, ut confitetur, piorum ac modeſtorum, atque immani temeritate ſententiam dicere de animorum reconditis, quæ ſoli Deo patent, ac *privativè* (ſit verbo ſcholari venia) reſervata ſunt. Toto enim cælo diverſum eſt, quædam dogmata tradere, è quibus alius (jure vel injuriâ jam non

* In Pist.

non diſquiro) eliciat abſurda & horrida, & iiſdem dogmatibus intendere & per cuniculos machinari exitium Eccleſiæ Dei, ac (ne pateſcant ſacrilega in fidem conſilia) ſeſe velare larvâ modeſtiæ, ac rigidioris ethicæ: prius enim ad doctrinam pertinet, poſterius ad perſonam; prius, ut ſummum, errorem intellectûs inferre poteſt, poſterius voluntatis impietatem planè deſperatam ac diabolicam aſſerit. Fieri autem poteſt, & quotidie fit, ut quis in quacumque ſcientia Doctor dogmata quædam tradat ac tueatur, è quibus Antagoniſta ejus errores, hæreſes, & impietates eruat, quas ille negatâ conſequentiâ abnuat, rejiciat & deteſtetur. Sic Moliniſtæ v. g., ne longiùs abeam, è Thomiſtico dogmate de Prædeterminatione Phyſicâ ad materiale peccati, inferunt Deum peccati auctorem, quam conſequentiam unà cum impiiſſimo conſequente Thomiſtæ, ut docet, diris omnibus devovent & execrantur.

Quæro igitur, an non perinſignis obtrectatoris fungeretur officio, qui Angelici Doctoris diſcipulos conſequentiam iſtam cum atheo conſequente palàm & continuè deteſtantes, nihilominùs horrendæ illius

in Deum impietatis inceſſeret; & iterum quæro, an vel ſiliquis porcorum dignus ſit, aut inter homines vivere mereatur, qui conſequens, quod pro ſuo arbitratu elicuit, totâ malignitatis ferociâ amplians & extollens, ipſo velut gradu utatur, ut conſcendat in Thomiſtarum præcordia, & ibidem legat intentiones ſubdolas & ſecretas explodendi v. g. Sacramentum Pœnitentiæ (utpote quod non ultra peccatoribus, ſed Deo ipſi ad peccatũ impellenti conveniat) blaſphemiis onerandi Majeſtatem divinam, imò Deum ipſum deſtruendi, atque ita omnem latenter ſuffodiendi per ſubtiles cuniculos Religionem? Cæterùm, quidquid probitatis extrinſecùs præ ſe ferant Dominicani, non id aliud eſſe dictitet, quàm *larvam modeſtiæ, pietatis, & rigidioris Ethicæ, quâ tecti, ſecuriùs ea ſtabiliant dogmata, quibus Eccleſiæ atque omnis prorſus Religionis fundamenta ſubruantur.*

Illam tamen argumentandi ſeu potiùs calumniandi viam triumphabundo ſupercilio inire infamis ſcedulæ compilatorem ad oculum liquet, qui ex dogmatibus ſive rectè ſive perperam allegatis, contortis, conciſis, in ſenſum invidioſum coactis, errores, hæreſes & impietates conflat, quas

nemo illi annuit, quin contra omnes deſpùunt, devovent,& toto averſationis pondere abominantur. Has equidem ſævus Impoſtor velut conceſſas aſſumens; inſuper à doctrina ad perſonas & conſcientias gradum facit, atque arrogantiam ſibi vindicat penetrandi in intima animorum conclavia, & è Tripode ſua Moliniſtica decernit, in ſecretis illis receſſibus procudi machinationes abolendi Fidem Chriſti, exſufflandi verum Dei cultum, & Religionem omnem penitùs exterminandi.

Quis ad phreneticos illos ac fanaticos exceſſus non obſtupeſcat; quis non humiliter horreat profunda judiciorum Dei, inconditas & inſulſas animoſitates ſuperborum hominum tantâ cæcitate & amentiâ punientis!

Sed altiùs adhuc progreditur elatio ejus prodigioſa, nec contentus induiſſe perſonam Dei, & rimatus eſſe ſecreta cordium, etiam de futuris temporibus Prophetam agit, & merâ calumniandi libidine atteſtatur, adverſariis ſuis *non deeſſe artes quibus brevì ſe effecturos ſperant, ut nulla authoritas, nulla poteſtas Chriſtianorum Principum, ſive Eccleſiaſticorum ſive Sæcularium, conatus illos quamvis ſacrilegos valeat infringere.*

Ubi autem, inquit, *Sectam ſuam ſatis firmaverint, nacti fortè Principem aliquem potentem, vel immenſâ Sequacium freti multitudine, non minùs ferociter Eccleſiæ inſultabunt, quàm ulla hactenùs Natio infidelis.* Si pſeudo-prophetas lapidari juſſit Deus, & naturâ duce Leges etiam paganæ pœnâ talionis damnant accuſatores, in tam horribilibus criminationibus probatione deficientes, deſpiciant, quæſo, Eccleſiæ ac Reipublicæ Proceres, quo ſupplicio digni ſint, qui convitia iſta teterrima chartis illinunt, in vulgus ſpargunt; per compita more deplomatum Regiorum affigunt; velut teſſeras pietatis erogant, vel etiam calculo Cenſorio probant.

Fateor ego, non veniſſe hactenùs in animum meum, degere homines in Belgio noſtro uſque adeò rationis exortes, affectibus ſuis præcipites, per omne genus contumeliarum graſſari natos, malignos, impudentes, ſeditioſos, ſocietatis humanæ inimicos, quales eſſe geſtiunt, qui hanc ab omni hominum memoria propudioſiſſimam ſcedulam gloriabundi in lucem trudunt; publicè & per domos diſſeminant, atque ad Optimates civitatum veluti ſymbolum Communionis & Fidei arrhabonem mittunt. Nam ut intoleranda ejus

malig-

malignitas magis oculos feriat, fingamus licitum eſſe cuilibet, ut eamdem cum impoſtore noſtro ſemitam terat, ac per infamem illam malevolentiam introeat in conſcientias contubernalium ſuorum ſive in civili ſive in eccleſiaſtica ſocietate, atque atrâ imaginatione duce, & invido rancore pediſſequo decernat in arcano cordis collegæ ſui ſerpere artes quaſdam latentes ac perfidas, ad ſtabiliendos *conatus ſacrilegos, quos nulla authoritas, nulla poteſtas Chriſtianorum Principum, ſive Eccleſiaſticorum, ſive Secularium, valebit infringere*; quid demum de Univerſi hujus politia fiet, niſi commixtio quædam rabidarum ferarum, ſe invicem ſævis rictibus admordentium, lacerantium, devorantium. Ut à minimis exordium ducam, plebeius exempli gratiâ, in concivem ſuum exulceratus, è ſermonibus ejus ſive juſtis & æquis, ſive minùs prudentibus evolvat Propoſitiones multò deteriores, easque vergentes in Patriæ præjudicium, hinc ſibi arroget audaciam reſerandi cor ejus, atque illic pro arbitratu ſuo vel fanatico ſpiritu ſtatuat cudi artes malitioſas perdendi Rempublicam; promulget fidenter rem ita ſe habere; audiatur à Moderatoribus Patriæ, & obtineat in

viperea iſta agendi Methodo, en tibi ſine ulla commiſeratione concivem illum rotæ, facultates Fiſco, & familiam diſperſioni tradita. Vice versâ ultor quidam amici ſanguinis, ſimile ſtratagema intorqueat in improbum illum accuſatorem, conceptumque eâdem viâ & ſucceſſu promoveat ac coronet, en tibi jam binas familias honeſtorum civium alternis theoninis dentibus crudeliter laniatas. Dein animo concipe, portentoſum illud calumniandi inſtitutum à plebeiis prorumpere ad Magiſtratus, à Magiſtratibus ad Senatores, à Senatoribus ad Duces & Principes; hosque omnes paribus fundamentis parricidales criminationes in invicem jacere, & audiri; quid quæſo reliquum eſt, niſi ut omnis humanæ ſocietatis contignatio in fruſta diſſiliat, & theatrum Orbis hujus aſpectabilis commutetur in circum ſanguinolentum leonum ac tigridum ſe mutuo lanienâ implacabili diſcerpentium. Hæc eſt tamen præclara Dialectica Moliniſtica in Scripto famoſo & canino quod impugnamus, hæc tota ratiocinationis vis, profectò non abſimilis extremo conatui phreneticorum, cum malè contractis & veluti in centrum condenſatis omnium virium ſuarum infirmarum copiis

piis, per temerariè violentas contentiones animam ac vitam expuunt. Ea de cauſa famoſo Libello titulum appendi *Phreneſeos Moliniſticæ*, quia reverà non hominum tranquillè ratiocinantium fœtum, ſed arreptitiorum, aut malignâ febre correptorum intemperiem in frontem ingerit.

Docemur certè experientiâ teſte, cacodœmones, errorum & calumniarum patres, cùm per Exorciſmos ad ultimas anguſtias redacti ſunt, impenſiùs furere, nec niſi relictis rabidæ indignationis indiciis ab obſeſſis abire corporibus. Innumeris Scriptis perſpicuè demonſtratum eſt, nihil ab Auguſtino diſſonum aut diverſum ſentire, quos Impoſtor Janſenii Sequaces nuncupat, & ab Eccleſia cum libertinis & atheis extruſos cupit. At eum urit, ac malè habet, quòd ipſi à Matre ſua Eccleſia Catholica deficere (ut Moliniſtis jam pridem in votis eſt) nullatenus in animum inducant ſuum, & quamvis Adverſariorum ſuorum fraudibus & potentiâ preſſi, non tamen defatigentur, ſed inſtar Palmarum ſe fortiùs erigant, pro defenſione Eccleſiaſticæ veritatis conſtantes perſeverent, Tractatus edant qui partim conterant, partim ad turpe ſilentium adigunt inimicos ſuos, & omnium virorum